



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Dissertatio Prima De Natura & proprietatibus entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO PRIMA

De Natura & proprietatibus
entis.

Ens reale acceptum participaliter, seu
 ad significans tempus, est idem,
 quod actu existens; acceptum no-
 minaliter, seu pro ut abstrahit à statu actualis
 existentiae & purae possibilitatis, est quid ap-
 tum existere, sive cui ab intrinseco non repu-
 gnat existere, id est, inter cuius praedicata est
 talis connexio, ut si ponatur, aut poni cōcipia-
 tur extra causas, unius praedicati existentia, nō
 destruat existentiam alterius, sive ex quorum
 praedicatorū productione non sequatur rem
 eandem esse, & non esse. Et hic conceptus
 praecisus est perfectè à substantia & accidente,
 Deo & creaturis; exprimit enim, in quo
 conveniant omnia, non exprimendo, in quo
 disconveniant, dumquē occurrit, vi illius,
 praecisè ignoro, an illud aptum existere sit
 substantia, an accidens, imò scire possum,
 quid sit aptum existere, absquē eo, quòd in-
 telligam, quid sit substantia vel accidens.

Potest

Potest item sub reduplicatione negari de inferioribus & dici: V. G. *ens ut ens non est substantia*, non minùs, quàm dici possit: *animal ut animal non est rationale seu homo*. Est itaq; ens prius Deo prioritate logica, & simplicius hoc sensu: conceptus entis est abstractior & confusior, quàm cōceptus Dei. Ex eo autem, quòd detur, ens non posse esse extra conceptum inferiorum, sive inferiora, vel etiam inferiorum differentias, non posse intentionaliter separari ab ente, malè infertur; ergo neq; inferiora possunt esse extra conceptum formale entis, vel: ergo neq; ens potest intentionaliter separari ab inferioribus; sicut ex eo, quòd animal non possit esse extra conceptum hominis, non sequitur: ergo nec homo est extra conceptum formalem animalis. Nequè mirum est, duo posse se sic habere quò ad inclusionem & exclusionem, quæ non fit, nisi per conceptus, ut licet unum ab alio excludatur formaliter, non tamen vicissim illud excludat formaliter, ut patet in cognitione relativorum quorundam; sic enim nequit cognosci unio, quin formaliter eâdem cognitione cognoscantur ejus termini, possunt tamen hi secundum se cognosci, non cognita unione.

II. Datur quoq; cōceptus differentiarum entis, perfectatis & imbecillitatis, aseitatis & abaluitatis perfectè præcisus ab ente; potest enim substantia præcisè concipi, secundum quod differt ab accidente, & secundum quod unà cum accidente rationem entis contrahit quod fieri non posset, si formalissimè concepta semper includat rationem entis, conueniret namque in hac adhuc cum accidente, & formalissimè idem diceret, quod dicit ratio entis quæ contrahitur: sicquæ perfectitas, differentia substantiæ, minùs non diceret, tam ex parte objecti, quàm ex parte modi cognoscèdi, quàm ipsa species, nempe substantia, quam veluti pars metaphysica constituit. Dum autem ens præscinditur à differentiis, non præscinditur ab aliquo, quod à parte rei est non ens, sed ab eo, quod realiter est ens, sive quod cum eo, quod præscinditur, est idem; vi autem hujus præcisionis non cognoscitur ut ens, nec remanet formaliter, seu ex parte modi cognoscendi ens; hæc namquæ differentia, dum formaliter, sive ut separata ab ente representantur, non representantur sub ratione potentis existere, sed sub ratione independentiæ vel dependentiæ ab alio, quam-

quamvis omne illud, quod dependens vel independentens est, à parte rei sit ens. Repræsentatur aliquid, non tamen sub ratione alicujus, sed sub ratione alia: item concipitur realis differentia, sed non ut realis, neque ut non realis, neque ut habens aptitudinem, neque ut habens repugnantiam ad existendū; concipitur ut constitutum differentiale veri entis, non tamen sub conceptu veri entis, sed sub conceptu alio, nimirum substantiæ vel accidentis, adeoque non concipitur ut differentia realis, (perfectitas enim non constituit ens, sed substantiam, seu verum ens sub nomine substantiæ, sicut rationale non constituit animal, sed hominem) quanquam etiam, nisi conciperetur ut differentia veri entis sub conceptu veri entis, non sequeretur concipi ut differentiam realem, sicut ex eo, quòd concipiam rationale ut differentiam animalis, non concipio rationale ut animal. Atque hinc sequitur primò, perfectitatem includere etiam formaliter prædicatū repugnans chimeræ, illud tamen non esse rationem entis, quam solum includit formaliter objectivè, seu formalitate objecti, non verò formaliter intentionaliter, seu formalitate conceptus:

sed rationem independentiæ ; per hanc enim differt ab omni eo , quod non est perfectitas. Sequitur secundò , dum dico : *homo est ens* : me non enunciare , hominem esse formaliter ens , secundum omnia , quæ includit v. g. secundum materiale , sensitivum , rationale &c. cum enim prædico partem metaphysicam de toto , non intendo dicere , quòd omnes partes metaphysicæ sint formaliter id , quòd prædico , sed tantum sint id realiter , aliàs dum dico : *homo est animal* : sensus foret : quòd homo , & secundum rationale , & secundum materiale &c. formaliter sit animal. Unde sequitur Tertiò : neque differentias entis inferiores v. g. *materiale , spirituale , sensitivum , insensitivum , rationale , irrationale* , includere formaliter ens : & hinc , licet rationale formaliter apprehendam ut principium ratiocinationum , non apprehendo tamen adhuc ut formaliter ens ; vis enim operativa rei , quæ à parte rei supponit posse existere , ab eo ex parte actus præscindit , & ratiocinatio formaliter & inadæquatè secundum ultimam suam differentiam accepta non dicit rationem entis. Sequitur
 quat-

quartò, perfectiorem, cum sit principium simplex differendi (quod omnibus differentiis commune est) non constare genere, adeoque propriè definiri non posse, sed dici independentiam ab alio. Sequitur quintò: ad hoc, ut quid sit objectum intellectus, non requiri, ut sit ens ex modo cognoscendi, sed ad summum, ut sit ens ex parte rei conceptæ. Deniquè *Ens*, ideo non dici prædicatum transcendens, quasi nihil posset concipi, nisi sub ratione entis, sed quia est prædicatum universalissimum conveniens realiter rebus omnibus.

III. Jam verò gratis dato, a seitate & ab aleitate, perfectiorem & inaleitate, differentias Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis constitutivas, esse formalissimè ens, & simul formaliter inter se diversas, adeoque substantiã ab accidente differre per aliquid, quod formalissimè sit ens, & consequenter rationem entis, ut imbibitam in perfectiorem, differre à ratione entis ut imbibita in inaleitate, (cuius contrarium est in aliis univocis, v. g. animali respectu hominis & equi, qui differunt per aliquid, quod formaliter non est animal, & in quibus, dum animal contrahitur, non

per

perficitur per aliquid, quod formaliter est animal) id tamen adhuc non obest univocationi. Ad eam enim sufficit quod ratio per nomen significata, quatenus per nomen significatur, sit omnino eadem; sicut sufficit ad æquivocationem, ut rationes per nomen significatæ, quatenus per illud significatæ, sint diversæ, non obstante, quod eadem rationes per aliud nomen significatæ sint eadem. V. G. Galli avis, & Galli hominis significatorum per nomen animalis: sed ratio entis per nomen ens significata, quatenus per illud significata (quæ est ratio entis abstracta à differentiis, quæ non significantur nomine entis) est eadem: ergo, licet ratio entis contracta & significata nomine differentiarum non sit eadem, id tamen non impedit, quò minus ratio entis abstracta, seu in statu præcisionis, & nomine entis significata, sit eadem. Similiter licet hæc formalis transcendencia impediatur compositionem (de essentia enim cuiusvis extremi componentis est, distingui inadæquatè à composito, seu non dicere totum illud, quod dicit compositum, quod in præsentibus non fieret, cum quod dicit substantia, id totum dicat, perfectitas

feitias, differentia substantiæ) non impedit tamen univocationem, ad quam sine fundamento requiritur hæc compositio. Unde dictum illud Arist. *impossibile est ens esse genus, eo quod qualibet differentia inferior necessario sit ens?* sic est intelligendum; quod ens non possit esse genus prædicamentale, quia transcendit omnes omnium prædicamentorum differentias (non quidem transcendencia formali, sed materiali, id est, possit prædicari de omnibus differentiis materialiter acceptis) quod non possunt alia genera.

IV. Neque dependentia creaturæ à Deo, aut accidentis à substantia impedit univocationem entis. Dependentia enim vel independentia inferiorum entis non includitur in ratione entis præcisa (nam aliàs secundum nostrum concipiendi modum ens indifferens non esset, ut contrahatur ad Deum vel creaturam &c. utpote quod includendo dependentiam, non posset contrahi ad Deum, cui nihil includens dependentiam, aptum est inesse) neque per nomen ens significatur; nulla autem diversitas tollit univocationem aut unitatem conceptus, nisi illa diversitas explicitè per ipsum conceptum repræsentetur.

Præ-

Præterea ex hac dependentia creaturæ à Deo &c. & prioritate, quâ Deus creaturâ prior est, non sequitur, rationem entis secundum nostrum concipiendi modum prius contrahi ad Deum, quàm ad creaturâ, seu debere prius dari cognitionem tendentem in Deum, & postea cognitionem tendentem in creaturam; nam Deum esse priorem creaturâ, & hanc illo posteriorem, tantum dicit, Deum cognoscendum esse ut principium productivum & priorem creaturâ prioritate naturæ, & hanc posteriorem, quod fieri potest unâ simplice cognitione, terminatâ primariò ad creaturam, secundariò ad Deum, vi cujus hæc cognoscatur ut dependens à Deo; aliud siquidem est, me cognoscere, aliquid esse prius alio, aliud, me habere cognitionem priorem cognitione alterius. Ratio igitur, entis, quæ est in Deo, est independens, à parte rei, sicut animal, quod est in Petro, est rationale, præcisâ tamen per rationem à Deo, neque est dependens, neque independens, id est, in suo conceptu formali, neutrum exprimit. Similiter creatura, qua-

quatenus per nomen *ens* significatur, nullam dicit dependentiam à Deo.

V. Neque inæqualis participatio entis facta ab ejus inferioribus impedit ejus univocationem; nam & animal perfectiùs participatur ab homine, quàm à bruto; verùm hæc inæqualis participatio præcisè & formaliter oritur à differentiis inæqualiter perfectis; & non relucet in conceptu superioris. In summa ratio entis est univoca; nomen enim entis commune est Deo & creaturæ &c. & ratio per nomen eas significata in omnibus ejus inferioribus est perfectè eadem. Deus itaque & creatura in ratione entis non magis differunt, quàm animal & color in ratione sani; differre enim in ratione entis, hìc non significat, differre in perfectione entitativa, sed significat, non posse uno conceptu & una voce *entis* sub eâdem interpretatione exprimi. Neque contrarius est nobis Arist. qui videtur hanc quæstionem non omnino determinasse; etsi enim 7. metaphyl. 4. analogiam entis indicasse dicatur, subdit nihilominus ibidem: *Sed hæc quidem, quomodocumque quis dicere velit,*

velis, nihil differt : Atque ex his conficitur ens esse genus etiam respectu Dei & creaturæ; etsi enim Deus species non sit, saltem prædicabilis, prædicatur adhuc ens de specie (id est, essentialiter & notabiliter differentibus).

VI. *Attributum seu passio & proprietas* entis dicitur illud, quod non est de primario & quidditativo ejus conceptu, cum essentia tamen entis connexum, eamque necessario consequens secundum nostrum concipiendi modum, reipsâ autem cum essentia identificatum, & sola ratione ab ea distinctum, convertibiliter de ea prædicabile. Talia entis attributa sunt *unitas, veritas, bonitas*; attribuuntur illa siquidem & adveniunt necessario juxta nostrum concipiendi modum enti secundum essentiam jam perfecto, afficiunt essentiam quasi subjectum & passum, sunt illi ita propria, ut nulli, quod ens non est, convenient.

VII. *UNVM* definitur *indivisum in se, & divisum à quolibet alio*; seu *indivisum in se & indivisum à se*. Divisio rei in se est, quâ quid dividitur in plura, quæ in se continet, ita ut res divisa non maneat, sed membra rei divi-

scilicet, v. g. si homo sublata unione dividatur in corpus & animam, quæ quamdiu erant unita, quamvis essent plures partes, non tamen absolutè erant plura, eò quòd pluralitas & multitudo simpliciter dicat unitates unione carentes. Hæc divisio in entibus simplicibus est impossibilis, sicut etiam quid impossibile est, si per eam concipiatur dividi res, sive simplex, sive composita, in plures tales res, qualis est ipsa, v. g. Petrus in plures Petros Angelus in plures Angelos. Divisio rei à se ea est, quâ res concipitur dividi in plures alias res, qualis ipsa non est, v. g. Petrus in plures non Petros, id est, ut Petrus maneat Petrus, & idemmet sit alius à se, v. g. sit Joannes, Paulus &c. estquè hæc divisio, tam in ente simplici, quàm composito, quid impossibile. Opponitur huic divisioni indivisio à se, quæ idem est, quod divisio ab omni alio; nam Petrum non esse non Petrum (quod est, illum esse indivisum à se) idem est, quod Petrum esse Petrum, & non esse Paulum, seu esse divisum à Paulo. Habet autem hæc divisio entis ab alio se aliter respectu contradictorii ejusdem entis, aliter respectu aliorum entium; Petrus enim divi-
sionem

sionem habet à Paulo, quatenus non est
 Paulus, seu quatenus est non Paulus, &
 non quatenus est non esse seu negatio
 Pauli, equi, ligni &c. (Petrus enim &
 Paulus non opponuntur sibi tanquam es-
 se & non esse, quia coëxistunt sibi, &
 posito uno, non tollitur alter) à suo con-
 tradictorio verò, seu à sui non esse, seu
 à negatione Petri divisionem habet, qua-
 tenus non tantum non est suum non es-
 se, sed etiam quatenus est non esse sui
 non esse, seu quatenus esse Petri est non
 esse negationis Petri, sicut negatio Petri
 est non esse Petri. Porro *unum* forma-
 liter dicit imprimis indivisionem in se, quia
 per divisionem in se ens unum intelli-
 gitur fieri plura, & ex divisione hac resul-
 tare pluralitas, adeoque per negationem
 hujus divisionis rectè intelligitur, ens fieri
 unum & non plura. Dein etiam dicit
 formaliter indivisionem à se; non minus
 enim opponitur unitati Petri, Petrum es-
 se non Petrum, seu esse Petrum, & simul
 esse Paulum, quàm Petrum dividi in suas
 partes; nam si per impossibile Petrus es-
 set indivisus in se, & simul esset non Pe-
 trus,

trus, seu divisus à se, seu simul esset Paulus, jam Petrus non esset unus, sed plures; esset siquidem, quod modò sunt Petrus & Paulus. Observandum tamen hìc est, *unum* non dicere hanc divisionem ab alio ut existente, sed ab alio, sive illud aliud detur, sive non; Deus enim erat unus, antequàm ulla creatura existeret, estque unitas cujusvis entis independens ab existentia alterius entis.

VIII. Neutra harum indivisionum importat relationem rationis, quàm idem referatur ad seipsum; aut aliud quid positivum enti superadditum. Non primum, quia rem esse unam, est quid reale, existens à parte rei nullo actu aut figmento rationis interveniente. Præterea fundatur hæc relatio identitatis in unitate, sicut relatio diversitatis in pluralitate, consequenter sicut prius est, esse plura, quàm diversa, sic prius est, esse unum, quàm relatum relatione identitatis: per quod tamen non negamus, unum consistere in identitate rei cum seipsa. Non secundum; ens enim ut distinctum ab illa ratione superaddita habet, quòd non sit illa ratio superaddita, neque aliud quid à se

se distinctum, & præterea habet suum esse; ergo, ut quid distinctum ab illa ratione superaddita est formalissimè unum, & consequenter per illam non constituitur unum. Præterea illud superadditum non est unum per aliquid superadditum, ne detur processus in infinitum, ergo per suammet entitatem, jamquè datur aliquid per suammet entitatem unum. Nequè dicas: ex eo, quòd hoc superadditum sit seipso unum, non sequi, etiam ens se ipso esse unum, sicut quantitas, cùm sit ratio quanti, seipsâ est quanta, non tamen materia seipsâ est quanta; nam in eo est disparitas, quòd illud superadditum non sit unum, quia est ratio unius, sed quia est ens, cujus attributum est unitas.

IX. Neutra etiam harum indivisionum importat formaliter quid negativum. Primò namquè divisio in se entis compositi dicit negationem unionis; ens quippe compositum seu unitum dividi in se, est unionem, quæ est inter ejus extrema, destrui, manentibus extremis (si enim hæc simul pereant, non est divisio, nequè tamen etiam hoc non esse divisionis constituit unum, sed potius destruit, cùm divisioni non opponatur positivè

fitivè ponendo id, quod divisio negat, nempe unitatem, sed negando id, quod supponit divisio, nempe extrema unibilia in instante, quo fit divisio) adeoque lineas esse divisas, non est tantùm, quamlibet habere proprium terminum, sed est præcisè partes, quæ ante erant unitæ, unitas non esse, quam negationem unionis sequuntur hi termini: quamvis in compositis essentialibus & entibus simplicibus id locum non habeat. In ente simplici dicit negationem identitatis prædicatorum essentialium illius; si enim per impossibile daretur hæc divisio v.g. in Angelo, idem importaret, quod divisio inter materiam & formam hominis mortui. Jam verò indivisio, utpote dicens negationem divisionis, dicit negationem negationis, adeoque quid positivum. Secundò indivisum à se nihil est aliud, quam ens esse ipsum, & quia est ipsum, non est aliud à se, adeoque per suam entitatem est non aliud; sive non est idem cum alio, quod totum est positivum, ad summum negativè explicatum. Nequè dicas: pluralitas est quid positivum, utpote non carentia, sed repetitio unitatum; sed unitas est carentia pluralitatis; ergo est carentia seu negatio alicujus

f

posi-

positivi. Nam primò, si pluralitas seu repetitio unitatum, quæ nihil est aliud, quam hæc, ista & illa unitas, adeoque quid indistinctum ab unitatibus, est quid positivum, jam quælibet unitas seorsim sumpta ut distincta ab alia non est quid negativum; ex repetitione enim negationum præcisè non potest fieri quid positivum. Secundò unitas solum solitudinis dicit negationem pluralitatis; dicit enim negationem alterius entis similis existentis, opponiturque cum quacunque pluralitate; unitas autem transcendentalis non opponitur cum pluralitate consurgente ex unitate v. g. Petri & unitate Pauli & Joannis &c. aliisque unitatibus extrinsecè advenientibus; hanc enim pluralitatem componit, estque ejus pars, adeoque non est ejus negatio: sed opponitur cum pluralitate, consurgente ex destructione hujus unitatis transcendentalis, si nimirum Petrus divideretur in suas partes, vel fieret idem cum aliis individuis adæquatè inter se distinctis, quæ pluralitas dicit negationem unionis vel identitatis, & est res per suam entitatem non hæc pluralitas, vel non esse hujus pluralitatis. Ubi quoque observandum est, unitatem transcendentalem non opponi

poni his pluralitatibus materialiter acceptis, id est, cum substantia unitatum consurgentium ex divisione compositi substantialis vel integralis, sed cum pluralitate accepta formaliter, id est, cum negatione unionis, seu cum unitatibus illis, quatenus sunt divisæ.

X. Unitas alia est individualis, numerica, materialis, seu absolutè realis, & est divisio rei singularis in se, & divisio ejus à quavis alia re singulari. Desumitur ab ipsa rei singularis entitate; (inde enim habet unitatem numericam, unde habet suum esse intrinsecum) sive principium intrinsecum individuationis est tota cujusque rei entitas, & non materia sigillata, seu affecta quantitate aliisque accidentibus, cum res spirituales habeant suam unitatem & materia carens quantitate adhuc esset hæc numero materia: neque sola forma, cum materia absq; forma adhuc esset una. Alia est unitas formalis, per quã essentia aliqua, v.g. humana dicitur una, quamvis sit divisã in plura individua, sive est divisio essentia in se, & divisio ejus à quolibet alio. Malè explicatur hæc unitas, quòd detur ante operationem intellectus unitas essentia, vi cujus eadem natura humana sit in Petro, Paulo &c.

se distinctum, & præterea habet suum esse; ergo, ut quid distinctum ab illa ratione superaddita est formalissimè unum, & consequenter per illam non constituitur unum. Præterea illud superadditum non est unum per aliquid superadditum, ne detur processus in infinitum, ergo per suammet entitatem, jamquè datur aliquid per suammet entitatem unum. Nequè dicas: ex eo, quòd hoc superadditum sit seipso unum, non sequi, etiam ens se ipso esse unum, sicut quantitas, cùm sit ratio quanti, seipsâ est quanta, non tamen materia seipsâ est quanta; nam in eo est disparitas, quòd illud superadditum non sit unum, quia est ratio unius, sed quia est ens, cujus attributum est unitas.

IX. Neutra etiam harum indivisionum importat formaliter quid negativum. Primò namquè divisio in se entis compositi dicit negationem unionis; ens quippe compositum seu unitum dividi in se, est unionem, quæ est inter ejus extrema, destrui, manentibus extremis (si enim hæc simul pereant, non est divisio, nequè tamen etiam hoc non esse divisionis constituit unum, sed potius destruit, cùm divisioni non opponatur positive

poni his pluralitatibus materialiter acceptis, id est, cum substantia unitatum consurgentium ex divisione compositi substantialis vel integralis, sed cum pluralitate accepta formaliter, id est, cum negatione unionis, seu cum unitatibus illis, quatenus sunt divisæ.

X. Unitas alia est individualis, numerica, materialis, seu absolutè realis, & est divisio rei singularis in se, & divisio ejus à quavis alia re singulari. Desumitur ab ipsa rei singularis entitate; (inde enim habet unitatem numericam, unde habet suum esse intrinsecum) sive principium intrinsecum individuationis est tota cujusque rei entitas, & non materia sigillata, seu affecta quantitate aliisque accidentibus, cum res spirituales habeant suam unitatem & materia carens quantitate adhuc esset hæc numero materia: neque sola forma, cum materia absq; forma adhuc esset una. Alia est unitas formalis, per quã essentia aliqua, v.g. humana dicitur una, quamvis sit divisã in plura individua, sive est divisio essentia in se, & divisio ejus à quolibet alio. Malè explicatur hæc unitas, quòd detur ante operationem intellectus unitas essentia, vi cujus eadem natura humana sit in Petro, Paulo &c.

idem animal in Petro, equo &c. sic enim nunquam Petrus poterit annihilari, quin simul annihiletur humanitas omnium hominum, animalitas omnium animalium &c. annihilari quippe est, rem ita destrui, ut nihil rei remaneat. Et positâ hac unitate formali distinctâ à numerica, non dabuntur nunc plures homines, sed unus homo, uti datur unus Deus, quia eadem natura divina immultiplicata est in tribus Personis. Melius itaque dicitur, quod Petrus ante operationem intellectus sit unus formaliter & essentialiter cum Paulo, non quod habeant unam eandemque numero essentiam, sed quod habeant essentias similes, adeoque hæc unitas formalis consistat in similitudine substantiali (hanc enim Arist. ad distinctionem similitudinis, quâ duo quanta, duoque qualia sibi sunt similia, vel æqualia, non propter entitates suas, sed propter superadditam sibi quantitatem vel qualitatem, vocat unitatem seu identitatem) quâ ante operationem intellectus individua sibi sunt similia, vel in tota essentia (quæ similitudo dicitur etiam unitas formalis specifica fundamentaliter) vel in parte essentiæ, quæ dicitur etiam unitas formalis

malis generica fundamentaliter, utpote præbens intellectui fundamentum efficiendi eadem individua unitate extrinseca specifica formali seu universalis. Alia demum est unitas universalis seu rationis, quæ convenit rebus extrinsecè ab intellectu cognoscente res multas per modum unius; hic enim cognoscendo res, quæ à parte rei dividuntur, ut homo & equus, ita confusè, ut vi cognitionis illius sciat quidem, se cognovisse animal, non possit tamen distinguere, an, quod cognovit, sit equus, an homo, facit, ut homo & equus dicantur indivisa per intellectum, seu unum ratione.

XI. IDENTITAS sumpta fundamentaliter & negativè non distinguitur ab unitate; sumpta formaliter relativè ac quasi positivè, superaddit unitati relationem rationis, quæ res unâ bis cognita secùm comparatur, & ad se ipsam refertur. Sic Petrus ante omnem intellectum est secùm idem negativè, id est, non est distinctus à se, est item fundamentaliter idem secùm, id est, dat intellectui causam, ut si illum semel cognitum cognoscat iterum, judicet, esse eundem cum illo, quem ante cognorat; dumquè intellectus eundem ad
f 3 seip-

seipsum refert, est identitas formalis, seu relatio unius ad seipsum, quæ est relatio rationis, utpote in qua fundamentum & terminus non distinguuntur realiter.

XII. **DISTINCTIO** realis positiva, quæ est inter duo entia positiva (quorum si utrumquæ sit res, vel etiam utrumquæ sit modus, quorum uterquæ esse potest, quin uniat alteri, dicitur distinctio realis strictè vel realis major, si unum sit modus, alterum res, dicitur realis minor) non consistit in aliqua entitate rebus positivis superaddita; sublata enim omni entitate superadditâ, adhuc una res non est alia. Distinguitur item una Persona divina ab alia, quæ tamen entitatis superadditæ sunt incapaces. Nequæ etiam consistit in negatione rebus distinctis suo modo superaddita; res enim per hoc distinguitur, per quod constituitur, non constituitur autem per negationem; habetquæ per suam entitatem v. g. Petrus, quod non sit Paulus. Ad hæc, si Petrus distingueretur ab equo per negationem identitas cum equo, distingueretur ab eo per negationem Chimæræ, seu alicujus impossibilis. Per illud itaque formaliter constituitur distinctio, per quod

quod tanquam formam positivam tollitur
 identitas, & per quod positivè & primariò
 res una maximè differt ab altera, non verò
 per quod negativè & secundariò differt,
 qualis est negatio identitatis, quæ ex ipsa dif-
 ferentia positiva rei seu ex ipsa alietate posi-
 tiva extremorum necessariò consequitur.
 Adeoque Petrum distingui à Paulo, forma-
 liter non est, Petrum non esse Paulum, sed
 priùs intelligitur Petrus esse distinctus à
 Paulo, quàm intelligatur Petrus non esse
 Paulus; bona enim videtur hæc causalis:
ideo Petrus non est Paulus, quia distinguitur,
& est alius ab eo, sive quia Petrus est Petrus
 & Paulus est Paulus, & unus formaliter per
 suam entitatem non est alter. Unde etiam
 sequitur, distinctionem esse formaliter ne-
 gabilitatem unius de altero, seu fundamen-
 tum negationis & negatio radicalis. Ne-
 què etiam distinctio est formaliter relatio
 alietatis; distinctio enim alia est absolu-
 ta, quæ est ratio, perquam formaliter ali-
 quid est hoc, quod est, & non est aliud, si-
 ve illud aliud existat, sive non, & hæc di-
 stinctio est absoluta, saltem prædicamenta-
 liter: alia est respectiva prædicamentaliter,
 § 4 est

estquè ratio, per quam aliquid est aliud ab alio ut actu existente, & hæc distinctio est formaliter relatio alietatis, supposito, quòd relatio prædicamentalis sit quid indistinctum à fundamento & termino actu existentibus. Nequè dicas contra hoc ultimum: relatio prædicamentalis supponit distinctionem, ergo non est formaliter ipsa distinctio: nam relatio alietatis præsupponit distinctionem formaliter absolutam, & respectivam fundamentaliter, non tamen præsupponit distinctionem formaliter relativam. Ex quibus sequitur, Deum ante mundum conditum non fuisse distinctum ab ullo formaliter & relativè, sed tantùm fundamentaliter & absolutè.

XIII. Distinctio rationis est, quando intellectus unam eandemq; rem diversis conceptibus cognoscit. Distinctio virtualis propriè loquendo, nihil est aliud, quàm entitas rei ob plures perfectiones, quas in se unitas vel identificatas habet, apta distingui, seu concipi pluribus conceptibus inadæquatis, obquè suam fecunditatem præbens intellectui fundamentum, ut ipse in una eademquè re plures formalitates distinguat. Distinctio
ratio.

rationis alia est rationis ratiocinatae, quae fit cum fundamento in re, in qua nimirum reperitur dicta virtualis distinctio: alia est rationis ratiocinantis, quando intellectus de una eademque re absque fundamento format plures conceptus inadaequatos synonymos, id est, solo numero differentes, repraesentantes rem eandem eodem modo, in ordine ad eandem connotata, tales sunt conceptus respondentes his nominibus: *ens, gladius.*

XIV. Non datur inter distinctionem realem & rationis distinctio media, quam formalem vocant seu ex natura rei, dicuntque intercedere eam, non inter entia, quorum saltem unum ab altero realiter separari potest, sed inter entitates, conceptibilitates, formalitates, quidditates inseparabiles quidem, à se invicem tamen distinctas ante omnem operationem intellectus, qualesque formalitates, aiunt, in homine esse animalitatem, rationalitatem &c. in Deo Justitiam, Misericordiam &c. quae ita distingui volunt ante operationem intellectus, ut unum non sit aliud, v. g. Misericordia non sit Justitia &c. Ista namque formalitates eo ipso, quod distinguantur ante operationem intellectus,

f s

distia-

distinguuntur ut materia & forma, consequenter realiter; quia materiam à forma distinguere realiter, nihil est aliud, quàm materiam non esse formam; sive materiam esse aliam entitatem, & formam esse aliam entitatem. Dicere hìc, hanc distinctionem ideo non esse realem, quia non est inter entia, sed entitates, & has entitates esse aliquid formaliter, non tamen realiter, est ludere in terminis; vel enim habent aptitudinem ad existendum, & sunt verè entia, vel non, & nihil sunt. Dicere, esse realitates, pro ut *res realitas* opponitur nihilo vel enti omnino dependenti ab intellectu, non esse tamen strictè realitates, quia ab invicem non possunt separari, id, inquam, non subsistit; quia etiam una Persona divina ab alia non potest separari. Sequuntur dein ex hac distinctione inconvenientia. Si enim sapientia Dei ante operationem intellectus formaliter distinguitur à Deo, ergo in se habet negationem Deitatis, ergo non est Deus, ergo creatura; & si sapientia formaliter non est Deus, ergo nec Deus formaliter est sapientia; quæ propositio est contra Concil. Rhem. Item si entitas sapientiæ non est entitas Dei, ergo Deus esset compositus

ex

ex entitate, quæ non est Deus. Malè verò nobis oggeritur, animali & rationali, voluntatī & intellectui divino ante operationem intellectus convenire contradictoria, hominemque sentire per *animal*, non sentire per *rationalē*, Deum velle per voluntatem, non velle per intellectum. Nam ante operationem intellectus homo & per animal, & per risibile & per rationale sentit, ratiocinatur &c. Deus & per voluntatem & per intellectum, & per Justitiam vult, intelligit, punit &c. materialiter accipiendo hæc nomina pro re vel entitate, quæ est animal, risibile, rationale, quæ est voluntas, & quæ est intellectus &c. non formaliter, ut accipiuntur, dum dicitur: homo sentit per animal, & non per rationale: Deus vult per voluntatem, non per intellectū; animalitas ante operationē intellectus nō est rationalitas &c. Unde semper harū locutionū negandum est suppositum, nimirū quòd datur ante operationem intellectus animalitas, rationalitas vel animal præcisum à rationali, intellectus Divinus à voluntate, quod sonant hæc propositiones. Signum enim evidens est, propositionē sumi in sensu formali, quando actus prædicatur de suo principio formali, ut

fit, dum dicitur: Deus vult per voluntatem, miseretur per Misericordiam: homo sentit per animal &c. Sepositis verò conceptibus dicendum est: *homo sentit per rem, quæ est animal, non sentit per rem, quæ est rationale &c.* ubi patet, semper partem negativam esse falsam. Frustra item dicitur, Petreïtatem vel insibilitatem esse extra conceptum essentialem hominis, ideoquæ ab eo distingui: est enim solummodò extra conceptum definitivum inadæquatum, id est, formaliter ab eo non attingitur, etsi materialiter ab eo quoquæ attingatur (definitus namquæ res, pro ut à nobis imperfectè concipiuntur, nimirum secundum prædicata quædam necessaria, in quibus plura individua conveniunt) & non extra conceptum adæquatè explicantem res, pro ut à parte rei existunt; æquè enim de essentia physica Petri est Petreïtas, quam animal, nec concipi potest essentia illa Petri adæquatè & perfectè non conceptâ Petreïtate. Opponitur demum gratis omnino: homo à parte rei bruto in tota essentia, nequæ est similis, nequæ dissimilis, ergo secundum unam partem seu formalitatem illi est

est similis, secundum alteram dissimilis, ergo hæ formalitates dantur à parte rei, & inter eas distinctio. Nam secundum totam essentiam est bruto similis & dissimilis, id est, imperfectè similis; quod enim imperfectè est simile, etiam est dissimile, non tamen est similis, & non est similis. Sic itaque res una secundum idem potest esse similis & dissimilis, non tamen æqualis, & inæqualis, cum æqualitas non admittat *magis & minus*.

XV. In distinctione rationis non committitur præcisio objectiva, quâ intellectus rem unam eandemque ita dividat per suos conceptus inadæquatos, ut cognitâ unâ objecti perfectione, prorsus non cognoscat alias priori identificatas, V. G. possit in Petro cognoscere principium sensationum, non cognito principio ratiocinationum, ac si principium ratiocinationum non esset in Petro. Ubi enim non est unum & alterum, ibi non potest cognosci unum sine altero, sed in re una & simplici non est unum & alterum, ergo; adeoque si cognito animali in Petro, non cognosceretur rationale, quod non est aliud ab animali, idem cognosceretur & non cognosceretur, quod non minùs re-

[7

pugnat,

pugnat, quàm idem amari, & non amari, idem videri & non videri. Ad quod dicere, non repugnare rem realiter unam, intentionaliter tamen multiplicem cognosci & non cognosci, est petere principium, & respondere per circulum; rem enim intentionaliter esse multiplicem, juxta Adversarios est; rem posse variis conceptibus, objective præscindentibus concipi, quod est in quæstione, ideoquæ, iterum ajunt, potest diversis conceptibus objective præscindentibus concipi, quia est virtualiter multiplex. Etsi igitur quis à longè videns animal affirmare possit, illud, quod videtur, esse animal, & affirmare non possit, vel etiam negare possit, illud esse rationale, non cognoscit tamen ideò eadem cognitione animal, non cognoscendo rationale; nam licet neget esse rationale, adhuc cognoscit rationale, sed confusè in ordine ad sensationes, adeoque non determinatur ad affirmandum, esse rationale, sed manet liber ad illud negandum. Cujus ratio est, quòd non habeat species ratiocinationum, sicut habet sensationum, per quas connotatorum seu operationum species illorum principia in se imperceptibilia, nullasquæ
speci-

species sensibus imprimantia, cognosci queunt. Unde aliud est, cognoscere rationale, ad quod sufficiunt species haustæ à sensationibus animalis rationalis, aliud, cognoscere esse rationale, ad quod requiritur, ut quis habeat species ab ipsis ratiocinationibus emissas. Aliud item est, habere species rationalis; aliud, habere species rationalis ut rationale est, seu repræsentantes rationale formaliter; vi quarum possim rem discernere ab omni non rationali. Atque idè est, quòd res cognita hoc modo non debeat significari per τὸ *rationale*, sed per vocem *animal*, non quòd ea rationalis non sit, sed quòd non sit cognita cognitione tali, ut illi hæc vox, significans rem tam distinctè cognitam, ut vi istius cognitionis distinguatur ab omni non rationali, conveniat. Ex quibus tamen non sequitur, rem eandem cognosci clarè & non cognosci clarè; nam (præterquam si τὸ *non clarè* accipiat positive, significetque idem, quod *obscure* cognosci, non efficiat propositionem alteri contradictoriam) dum cognosco *animal* formaliter, seu principium sensationum in ordine ad sensationes, eadem

eadem

eâdem claritate, eâdem cognitione cognosco principium ratiocinationum in ordine ad sensationes, & obscure in ordine ad ratiocinationes: imò cognitâ hac ratione animalis formaliter, cognosco etiam rationale formaliter, id est, entitatem illam, quæ simul formaliter est animal & rationale, seu etiam cognosco rationale formaliter in ordine ad sensationes, non tamen formaliter in ordine ad proprium connotatum. Nequè contra hanc doctrinam opponas: ubi datur conceptus formaliter præscindens, ibi dari debet objectum præcisum, consequenter præcisioni formali debet correspondere præcisio objectiva; nam conceptui præscindenti formaliter correspondet objectum formaliter præcisum, quod appellare poteris præcisionem formalem rationis, quæ denominatio extrinseca non distinguitur à conceptu præscindente formaliter & objecto sic diversimodè cognito, adeoque nihil dicit tenens se ex parte objecti.

XVI. Gradus metaphysici (qui sunt prædicata illa communia superiora & inferiora recensita in prædicamento) in eodem individuo distinguuntur sola ratione ratiocinata;

¶

si enim distinguerentur inter se realiter, vel ex natura rei, unus de altero non poterit verè prædicari, adeoque falsæ erunt hæ propositiones: *homo est animal: animal est substantia* &c. Præterea si ratio superior, v.g. substantiæ est distincta à ratione inferiori, V.G. Angeli, hominis &c. adeoque de se indifferens, ut quæ nunc est in Deo, Angelo &c. potuisset, vel posset esse in lapide, Angelus non erit purè spiritualis, quia nihil spirituale est vel esse potest in lapide. Animal igitur, quod est in Petro, non magis potest affirmari de equo, quàm rationale; dum enim dico: *equus est animal*: affirmatur de equo animal omninò diversum ab eo, quod est in Petro. Nequè dicas: Petrus à parte rei est Petrus per differentiam individualement, & non est Petrus per naturam; aliàs omnis habens naturam humanam esset Petrus: nam falsum est assumptum, ex quo malè infertur illud consequens; mutatur enim suppositio, cum natura priùs sumatur particulariter in sensu reali, prout à parte rei est in Petro, dein ut præcisa per intellectum, quatenus est omnibus hominibus communis: bene autem sic fieret illatio: *ergo omnis habens hanc naturam Petri, est Petrus.*

XVII. Veritas objectiva, metaphysica & transcendentalis, seu in essendo, alterum entis attributam est ipsa intrinseca rei cognoscibilitas, seu ipsa rei entitas, quatenus hæc per seipsam ingenerare potest sui conceptum, seu quatenus ex se & ab intrinseco conformabilis est intellectui verè & infalibiliter judicanti & repræsenti illam, ut in se est. Alia enim est cognoscibilitas formalis & quasi passiva, quam res habet ab extrinseco, nimirum à cognitione seu intellectu: alia fundamentalis & quasi activa, quatenus res per se ipsam potest causare in intellectu sui cognitionem, seu eum movere ad sui cognitionem (latius aliquantò accipiendò *tò movere*, non pro solo objecto motivo, sed pro ut quid commune est objecto motivo & terminativo) & hæc rei cognoscibilitas prior est cognitione (etiam suo modo divinâ, quatenus divina hujus rei cognitio sine illa re esse non potest) quamvis in ordine ad eam explicetur. Talem cognoscibilitatem non habent entia rationis vel negationes, cum per se ipsa non sint apta terminare cognitionem, cognoscuntur namquè semper ad modum
entis.

entis, vel per ordinem, tanquam familia vel
opposita, ad verum ens; sicut tamen abusive
& analogicè dicuntur entia, sic abusivam ali-
quam & analogicam dicuntur habere verita-
tem. Minus apta est veritatis explicatio, quã
dicitur esse conformitas rei cum sua regula
seu cum exemplari & idea divina; Deus
enim, cui vel maximè competit hæc trãscen-
dentalis veritas, non potest esse conformis
sue cognitioni practicæ, qualem sonat idea
divina, etsi de cætero verum sit, quod ve-
ritas hæc sit conformitas cuiusquæ rei cum
propria & prima sui mensura, seu intelle-
ctu divino, semper actu & perfectè intuen-
tere rem, sicut ipsa est. Minus quoquæ apta
est illa, quã verum dicitur esse *id, quod
est, non autem quod videtur esse*: id est, quod sit
cuiusquæ rei entitas, quatenus illa per se
ipsam est distincta ab omni alia entite,
quod ad speciem illius naturam simulante,
sic aurum dicitur verum, quatenus est
distinctum ab aurichalco, aliave re, spe-
ciem auri referente; non enim satis di-
stinguit veritatem ab unitate, quæ cum sit
ipsa rei entitas, in quantum distincta ab
omni alia re, quæ non est ipsa, absquæ
dubio

dubio etiam est res quatenus distincta ab alia re, naturam suam simulante, quamvis id non ita explicitè exprimat. E contra falsitas huic veritati opposita est negatio cognoscibilitatis per se, adeoque non convenit nisi nō enti & enti ficto, utpote quæ per suam entitatem non possunt se offerre, ac veluti sistere se intellectui ad cognoscendum, fundareq; activè cognitionem. Licet autem quodlibet ferè ens etiam aptum sit videri, quod non est, adeoque fundare cognitionem sui falsam, id tamen non tam entitati rei, quæ potius exigit cognosci, sicuti est, quàm intellectus imperfectioni adscribitur.

XVIII. Bonitas absoluta, metaphysica & transcendentalis est ipsa rei amabilitas, seu appetibilitas fundamentalis & quasi activa, quâ ens reale propter suam essentialem perfectionem; absquè ordine ad subjectum, cui hæc bonitas conveniat, amabile est. Possè enim per se ingenerare sui amorem, non est denominari ab amore aut appetitu rei intrinseco, sed est fundare amorem, & se sistere & offerre ad amandum, adeoque amabilitas hæc fundamentalis prior est, non tantum amore, sed & appetibilitate & amabilitate formali,

formali, sive prius est, aliquid esse bonum, quàm esse amabile formaliter, non tamen prius est, esse bonum, quàm esse amabile fundamentaliter. Quibus non obstat quod ens positivum, quatenus disconvenit alicui subjecto, V. G. calor aquæ, dolor positivus homini, adeoque purè propter hanc disconvenientiam suam, & nō ratione suæ entitatis, seu secundum se spectatum sit odibile, aptumque terminare actum odii; eatenus enim mala positiva respectiva dicuntur. **E**contra non entia, quatenus carentia perfectione essentiali fundamentaliter sunt odibilia absque ordine ad subjectum, cui hæc carentia disconvenit, sunt mala malitiâ transcendentali & absolutâ.

DISSERTATIO SECUNDA

De Essentia, Possibilitate & impossibilitate rerum.

I. **E**ssentia rei est id, quod primum est in unaquaq; re, & radix cæterorū; cum enim in aliqua re reperiantur plures entitates
vel